

sum. „ (Reiffenst. l. c. n. 378) Haec a legis interpretatione eatenus differt quatenus interpretatio *verba legis obscura* declarat, epikeia vero *mentem legislatoris* explicat, quando constat de universalis verborum sensu, dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularē ob certas circumstan̄ias voluerit vel potuerit sub generali locutione legis comprehendere.

Ex hac epikeiae natura liquet ejus usum ad solam legem humanam coartari. In hac autem, e communi DD. sententia, interdum applicari potest, quia legislator humanus attendere solet tantum ad ea quae frequenter contingunt; unde, in casu particulari, in quo iniquum vel saltem nimis difficile foret legi oboedire, praesumi potest legislatorem noluisse ut etiam ad talem casum lex sua extenderetur.

CAPUT III.

DE IIS QUAE A LEGE EXCUSANT.

114. PRINCIPIA. I. Obligatio legis positivae generatim desinit quando ejus observatio per accidens cum gravi damno vel incommmodo conjuncta est.

Quod ut melius intellegatur, juvabit notasse sequentia:

1º Non agi de lege naturali vel divina negativa, qua vetantur ea quae sunt proprio sensu intrinsece mala, ut blasphemia; includi vero omnem legem humanam, sive civilem, sive ecclesiasticam, immo et naturalem vel divinam affirmativam, ex. gr. legem restituendi bona injuste ablata.

2º Dici: *generatim*. Nam interdum, propter bonum commune, lex etiam cum gravissimo incommodo servanda est. Ex. gr. parochus tenetur lege residentiae, etiam cum evidenti periculo contrahendi morbi contagiosi. Cfr. n. 91.

3º In singulis legibus determinandum esse quam grave incommodum esse debeat ut ab iis servandis excuset. Hoc enim pendet a natura legis, intentione legislatoris et adjunctis peculiaribus. Plerumque leges negativae gravius incommodum postulant ad excusandum quam affirmativae, leges divinae gravius quam humanae. Sic in gravi necessitate non licet furari, licet vero retinere pecuniam alteri solvendam.

4º Necesse esse ut incommodum illud *per accidens* legis observationi conjungatur, non autem ex ipsa lege oriatur. Quaedam enim leges, ex. gr. lex divina integritatis in confessione, ex ipsa natura sua maximam habent difficultatem, quae proinde, in casibus particularibus, earum obligationem non tollit.

Ratio hujus principii, quatenus spectat ad leges humanas, in eo est quod lex debet manere moraliter possibilis: quatenus vero etiam leges divinas positivas complectitur, nititur prudenti *praeumptione* qua opinemur Deum nolle urgere legem suam ubi tanta difficultas plane extraordinaria omnino mutat adjuncta. Cfr. Lehmkuhl, I. n. 156. A fortiori excusat impotencia physica: siquidem ad impossibile nemo tenetur.

115. II. Per se nemo prohibetur quominus e territorio suo exeat et ita se subtrahat *obligationi particulari* quae in eodem vigeat, ex. gr. audiendi Missam in die festo patroni loci. (n. 95) Lex enim non obligat ut quis in territorio maneat, sed tantum ut, quamdiu in eodem remanet, legem servet. Similiter licet exire e territorio in quo vigeat lex communis, ex. gr. audiendi Missam in die Epiphaniae, et tendere ad alium locum in quo (ut in Belgio) ex privilegio illa lex communis vigere desiit. Qui enim sic agit, utitur jure suo se conjugandi cum parte communitalis quae privilegio donata est. (Lehmk. I. n. 159) Neque, in hoc casu, tenebitur ad Sacrum summo mane audiendum, si aliud tardius in eodem loco celebratur, modo hora ultimi Saeri jam versetur extra territorium in quo vigeat lex: nam „ si mansisset in loco ubi praecepsum obligabat, poterat differre ad id tempus; quando autem pervenit ad alium locum, desinit obligari. „ (Bus. ap. S. Alph. n. 157)

Immo etiamsi quis directe intendit ita effugere obligationem, nihil in honesti in hac voluntate reperitur. Duae tamen *exceptiones*, ob positivam S. Sedis dispositionem, attendendae sunt: scil. ne quis ex industria se in aliud territorium conferat ad vitandam legem de nullitate matrimonii clandestini vel ad absolutionem a reservatis accipienda. Sed de his suo loco dicetur.

116. III. Si quis voluntarie causam posuit ob quam, licet subditus legi maneat, physice vel moraliter impossibilis fiat ejusdem observatio, non peccat quidem legem non servando (n. 114), sed interdum peccare potuit hujusmodi causam impedientem ponendo. Etenim quaelibet lex implicite obligat ad adhibenda media ordinaria et communia ut servari possit, qualia sunt adire hereditatem vel munere lucrative fungi ut debitibus satisfacere queas, comparare cibos licitos diebus abstinentiae, etc. Id enim manifeste continetur in obligatione procurandi finis. Igitur a fortiori obligatus lege tenetur ad non ponenda voluntarie impedimenta quae legis impletionem impossibilem reddant.

Difficillimum autem est determinare quandonam in hac causa ponenda peccetur. Ideo praestat a regulis generalibus abstinere et casus praticos solvere in singulis argumentis ad quae pertinent. Aliquas tamen generales animadversiones cum Sanchez (in Dec. I. 1. c. 15. n. 4) et

Ball. P. (n. 260 seqq.) subjiciemus, quae juvent praesertim ad mentem legislatoris prudenter investigandam.

1º Spectanda est vis praceptorum quorum alia graviores, alia leviores causas ad excusandum exigunt. Leges enim naturales obligant ad adhibenda omnia media observandae legi necessaria, nisi magnam difficultatem per accidens secum trahant; positivae vero leges saepe, ob voluntatem legislatoris nihil amplius exigentis, obligant tantum ad vitanda vel tollenda quedam impedimenta intime cum observantia legis conexa. (Castrop. de Leg. I. disp. 21) Sic facilis poterit poni impedimentum quo impossibilis fiat Missae auditio quam muneris exsecutio.

2º Consideranda necessitas vel utilitas impedimenti. Sic a Missa audienda excusabit labor ultro susceptus ad extingendum incendium, non vero ad theatrum parandum.

3º Considerandum utrum impedimentum proxime an remote tantum impedit ne impleatur praecipuum. Sic licet iter arripere, etiam sine peculiari causa, quamvis hoc praevideatur impedimento fore ne, post aliquot dies, praecipuum Sacri audiendi satisfiat. Non licet iter ob meram recreationem aggredi, quando jam instat hora Sacri audiendi. Limitem autem quo secernantur impedimenta proxima a remotis accurate determinare difficillimum est. Juxta Lehmkuhl (I. n. 158): "Praecepta seu leges quarum obligatio saepe recurrat, ut jejunium, abstinentia, assistentia Missae sacrificio, tum tantum prohibent quominus impedimentum indirecte ponatur sine justa causa, quando jam fere instat dies obligationis, summum pridie tempore pomeridiano." Ita iter, quo impediatur Sacri auditio, liceret ingredi e mera voluptate, toto die Sabbati usque ad unam alteramve horam ante diem Dominicam. (Gury, I. n. 111)

4º Considerandum utrum impedimentum per se et intrinsece ad rei praecipuae materiam pertineat, ut si desit breviarium ad officium canonicum recitandum, an per accidens et remote tantum, ut si desit valetudo sufficiens ad eamdem recitationem. Ita peccat contra praecipuum officii divini recitandi qui breviarium, quod unicum habeat, in mare projicit, non autem qui se imprudenter pluviae exponens, morbum contrahit quo ab officio recitando impediatur.

5º Sententia communior est: semper reum esse violatae legis eum qui apponit impedimentum etiam remotum cum directa intentione ut a lege, ex. gr. Sacri audiendi, excusat. (La Croix, I. 1. de Leg. n. 784) Jus enim Romanum prohibet ne quid in fraudem legis fiat: quod etiam legibus canoniciis et, a fortiori, legi naturali applicandum est. (S. Alph. I. 4. n. 104; D'Annib. I. n. 171. nota 60) Attamen, ubi certo constat actionem externam esse licitam, ex. gr. iter suscipere duobus diebus antequam urget obligatio audiendi Sacri, existimamus probabilem esse plurium AA.

sententiam (Tambur. Expl. Dec. I. 4. c. 2.; Salmant. de Leg. n. 164): non violari legem positivam ab eo qui directe intendit tali impedimento a lege implenda excusari. Nam, cum utatur jure suo, non appareat cur ejus intentio dicatur in honesta magis quam intentio exeuntis e territorio animo vitanda legis particularis. Aliud sane dicendum de casu quo lex ex. gr. abstinentiae proxime urget. Qui enim tunc ex industria impedimentum ponit, ex. gr. curando ut ad prandium invitetur ubi nihil praeter carnes apponetur, manifeste legem eludit, et ab omnibus timoratis fidibus legem violare censebitur.

CAPUT IV.

DE DISPENSATIONE LEGIS.

§ 1. DE NATURA ET AUCTORE DISPENSATIONIS.

117. DEFINITIO. Dispensatio est exceptio aliquis ab obligatione legis, facta a legislatore aut ab eo qui ab ipso hanc potestatem accepit. Supponit ergo legem universe manere cum sua vi obligandi, sed, propter voluntatem Superioris, transeunter vel etiam modo stabili jam non adstringere personas alias particulares.

Differt a *licentia*, quae legi consentanea potius quam contraria est. Ex. gr. si lex vetat ne religiosus domo egrediatur sine Superioris licentia, is qui licentiam petit non petit legis relaxationem, sed legem observat. Quare ad licentiam concedendam non requiruntur eadem condicione atque ad dispensandum.

Sedulo quoque distinguatur oportet dispensatio a *declaratione exceptionis*. Prior enim pertinet ad eamdem potestatem jurisdictionis qua legis obligatio inducta est, posterior vero, sine ulla potestate dominativa vel jurisdictionis, a privato fieri potest, ex. gr. a medico qui declarat ita nocere posse jejunium huic homini debili ut ab eo servando excusat. (Ball. P. n. 286 seqq.)

Potest dispensatio concedi *expresse* et *tacite*. Expresse, quando verbis vel aliis signis manifestis datur; tacite, quando prudenter colligitur ex aliqua actione Superioris, ex. gr. e collatione beneficii ab episcopo facta clericō quem excommunicatum esse novit, vel ex ejus silentio quando scit inferiorem agere contra legem et facile contradicere posset. (n. 10) Numquam autem sufficit praesumptio de futuro, nixa persuasione quod Superior dispensationem, si peteretur, concessurus